

Recueil des chartes de l'abbaye de Stavelot-Malmedy, 60

Ille bene debet possidere res proprias qui de terrenis mercatur eterna. Ideo ego Albertus considerans etatis mee canitiem malui post mei decursus tempora in usus servorum Dei hereditatem juris mei cedere, quam alicubi absque fructu anime mee inutiliter consummare. Quapropter adii celsitudinem ducis Gisleberti scilicet cognati mei quo ipsius permissu cuius dinoscitur fore abbatia liceret mihi aliquam precariam facere de rebus sancti Petri sanctique Remacli ad monasterium Stabulau, in quo rector prepositure preesse videtur Rotaldus prepositus, cum ipsius voluntate et ceteris monachis sibi commissis. Igitur tradidi ad prefatum monasterium coram testibus idoneis qui subter tenentur inserti, presente advocate Burgerico, villam jure hereditatis mee nomine Aldanias sitam in pago Arduennense inter confines sancte Marie sanctique Petri pro remedio anime mee perpetualiter possidendam a rectoribus loci ipsius, cum familiis utriusque sexus ad eam pertinentibus, cum ecclesia, domibus, pratis, silvis, aquis aquarumve decursibus, atque omnia ad eandem villam pertinentia, quam etiam ante annos plurimos in publico mallo a fratre meo Raginero, qui mihi eam vi abstulerat, legaliter acquisivi. Hec omnia dono donatumque in perpetuum esse volo ad limina supradictorum sanctorum. Ideo, quia hec fuit mea petitio et eorum voluntatas et consensio, dedit mihi prepositus prefatus et advocatus cum voluntate ducis et omnium monachorum villam nomine Genitrio in pago Condustrio cum omnibus appenditiis suis, familiis utriusque sexus, casis, pratis, cambis, molendinis atque omnia ad eundem pertinentia; ea dumtaxat ratione, ut diebus vite mee hec omnia predicta in usus proprios teneam et possideam, et post decessum meum predictus dux Gislebertus consanguineus meus eodem modo teneat qui ad hec fieri permisit. Non sit tamen nostra potestas predictas res venumdare neque immutare neque dare, sed hec omnia post nostrum ab hoc evo decessum cum omni melioratione ad predictum monasterium jure perpetuali possidendum revertantur. Quod si aliquis de heredibus aut proheredibus meis aut aliqua extranea persona, quod minime fieri arbitror, contra hanc precariam venire temptaverit et eam aliquatenus infringere voluerit, in primitus iram Dei incurrat et in postmodum alienus et extraneus a consortio predictorum sanctorum existat et quod repetit ad effectum [non perducat], sed hec donatio firma et stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum in monasterio Stabulau V non. octob., regnante domino Heinrico rege. Signum Alberti comitis qui hanc precariam fieri rogavit. S. Rotaudi prepositi. S. Asceri decani. S. Euerardi.

Ego Bernardus indignus monachus cancellarius advicem Rotaudi prepositi scripsi et subscripsi.